

igitur non est suum esse, non est per se necesse esse. Deus autem est per se necesse esse. Ergo Deus est suum esse.

3. Amplius. Si esse Dei non est sua essentia, non autem pars ejus esse potest, cum essentia divina sit simplex, ut ostensum est, cap. xviii. oportet quod hujusmodi esse sit aliquid præter essentiam ejus. Omne autem quod convenit alicui quod non est de essentia ejus, convenit ei per aliquam causam: ea enim quæ per se non sunt unum, si conjunguntur, oportet per aliquam causam uniri. Esse igitur convenit illi quidditati per aliquam causam. Aut igitur per aliquid quod est de essentia illius rei, sive per essentiam ipsam, aut per aliquid aliud. Si primo modo (essentia autem est secundum illud esse) sequitur quod aliquid sit sibi ipsi causa essendi. Hoc autem est impossibile, quia prius secundum intellectum est causam esse quam effectum. Si ergo aliquid sibi ipsi esset causa essendi, intelligeretur esse, antequam haberet esse quod est impossibile. Nisi intelligatur quod aliquid sit sibi causa essendi secundum esse accidentale, quod esse est secundum quid, hoc enim non est impossibile. Invenitur enim aliquid ens accidentale causarum ex principiis sui subjecti, ante quod esse, intelligitur esse substantiale subjecti. Nunc autem non loquimur de esse accidentali, sed de substantiali. Si autem illi deesse conveniat per aliquam aliam causam, omne autem quod acquiritur esse ab alia causa, est causatum, & non est causa prima; Deus autem est prima causa non habens causam, ut supra cap. xiiii. demonstratum est: igitur ista quidditas, quæ acquiritur esse aliunde, non est quidditas Dei: necesse est igitur quod Dei esse quidditas sua sit.

4. Amplius. Esse, actum quemdam nominat: non enim dicitur esse aliquid ex hoc quod est in potentia, sed ex hoc quod est in actu. Omne autem cui aliquid actus convenit, aliquid diversum ab eo existens, se habet ad ipsum ut potentia ad actum, actus enim, & potentia ad se invicem dicuntur. Si ergo divina essentia est aliud quam suum esse, sequitur quod essentia, & esse se se habeant, sicut potentia, & actus. Ostensum est autem supra cap. xvi. in Deo nihil esse de potentia, sed ipsum esse purum actum. Non igitur Dei essentia est aliud quam suum esse.

5. Item. Omne quod non potest esse nisi concurrentibus pluribus, est compositum. Sed nulla res in qua est aliud essentia, & aliud esse, potest esse nisi concurrentibus pluribus, scilicet essentia, & esse. Ergo omnis res in qua est aliud essentia, & aliud esse, est composita. Deus autem non est compositus, ut ostensum est, cap. xviii. Ipsum igitur esse Dei est sua essentia.

6. Amplius. Omnis res est per hoc quod habet esse. Nulla igitur res cujus essentia non est suum esse, est per essentiam suam, sed participatione alicujus, scilicet ipsius esse. Quod autem est per participationem alicujus, non potest esse primum ens, quia id quo aliquid participat ad hoc quod sit, est eo prius: Deus autem est primum ens, quo nil est prius. Dei igitur essentia est suum esse.

Hanc autem sublimem veritatem Moyses a Domino est edoctus, qui cum quæreret a Domino Exodi 111. 13. dicens. Si dixerint ad me filii Israel: Quod est nomen ejus? quid dicam eis? Dominus respondit. Ego sum qui sum: sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos, ostendens suum proprium nomen esse Qui est. Quodlibet autem nomen est institutum ad significandum naturam, seu essentiam alicujus rei. Unde relinquatur quod ipsum divinum esse est sua

essentia, vel natura. Hanc etiam veritatem catholici Doctores professi sunt. Ait namque Hilarius in Lib. de Trinit. Lib. VII. prop. princ. *Esse non accidens Deo, sed subsistens veritas, & manens causa, & naturalis generis proprietatis.* Boetius etiam dicit in Lib. de Trinit. cap. 111. quod *divina substantia est ipsum esse, & ab ea est esse.*

CAPUT XXIII.

Quod in Deo non sit accidens.

EX hac etiam veritate de necessitate sequitur quod in Deo super ejus essentiam nihil supervenire possit, neque aliquid ei accidentaliter inesse.

1. Ipsum enim esse non potest participare aliquid quod non sit de essentia sua; quamvis id quod est, possit aliquid aliud participare: nihil enim est formalis, aut simplicius quam esse. Divina autem substantia est ipsum esse. Ergo nihil habet quod non sit de sua substantia: nullum ergo accidens ei inesse potest.

2. Amplius. Omne quod inest alicui accidentaliter, habet causam quare inest, cum sit præter essentiam ejus cui inest. Si igitur aliquid accidentaliter sit in Deo oportet quod hoc sit per aliquam causam. Aut ergo causa accidentis est ipsa divina substantia, aut aliquid aliud. Si aliquid aliud, oportet quod illud agat in divinam substantiam: nihil enim inducit aliquam formam vel substantialem, vel accidentialem in aliquo recipiente, nisi aliquo modo agendo, in ipsum, eo quod agere nihil aliud est quam facere aliquid actu: quod quidem est per formam. Ergo Deus patietur, & movebitur ab aliquo agente; quod est contra prædeterminata, cap. xviii. Si autem ipsa divina substantia est causa accidentis quod sibi inest, impossibile autem est quod sit causa illius, secundum quod est recipiens ipsum: quia sic idem secundum idem faceret se ipsum in actu. Ergo oportet, si in Deo est aliquid accidens, quod secundum aliud, & aliud recipiat, & causat accidens illud, sicut corporalia recipiunt propria accidentia per naturam materiam, & causant per formam. Sic igitur Deus erit compositus; cujus contrarium superius, cap. xviii. probatum est.

3. Item. Omne subjectum accidentis comparatur ad ipsum ut potentia ad actum, eo quod accidens quædam forma est, faciens esse actu secundum esse accidentale. Sed in Deo nulla est potentialitas; ut supra cap. xvi. & xviii. ostensum est. In eo igitur nullum accidens esse potest.

4. Adhuc. Cuicumque inest aliquid accidentaliter, est aliquo modo secundum suam naturam mutabile: accidens enim de se natum est inesse, & non inesse. Si igitur Deus habet aliquid accidentaliter sibi conveniens, sequetur quod ipse sit mutabilis: cujus contrarium supra demonstratum est.

5. Amplius. Cuicumque inest aliquid accidens, non est quicquid habet in se: quia accidens non est de essentia subjecti. Sed Deus est quicquid in se habet. In Deo igitur nullum est accidens. Media sic probatur. Unumquodque nobilissimum invenitur in causa quam in effectu. Deus autem est omnium causa. Ergo quicquid est in eo, nobilissimo modo in eo invenitur. Perfectissime autem convenit aliquid alicui quod est ipsummet: hoc enim perfectius est unum quam cum aliquid alteri substantialiter unitur ut forma materiam; quæ etiam unio perfectior est quam cum aliquid alteri accidentaliter inest. Relinquatur ergo quod Deus sit quicquid habet.

Item.

6. Item. Substantia non dependet ab accidente, quamvis accidens dependeat a substantia. Quod autem non dependet ab aliquo, potest aliquando inveniri sine illo. Ergo potest aliqua substantia inveniri sine accidente. Hoc autem præcipue videtur simplicissimæ substantiæ convenire, qualis est substantia divina. Divinæ igitur substantiæ omnino accidens non inest.

In hanc autem sententiam etiam catholici Doctores conveniunt: Unde Augustinus in Lib. de Trinit. Lib. V. cap. 14. dicit, quod in Deo nullum est accidens.

Ex hac autem veritate ostensa, error quorundam in lege Saracenorum loquentium confutatur, qui ponunt quasdam intentiones divinæ essentiæ superadditas.

CAPUT XXIV.

Quod esse divinum non potest designari per additionem differentie substantialis.

Ostendi etiam ex prædictis potest, quod supra ipsum divinum esse non potest aliquid superaddi quod designet ipsum designatione essentiali, sicut designatur genus per differentias.

1. Impossibile enim est aliquid esse in actu, nisi omnibus existentibus, quibus esse substantiale designatur: non enim potest esse animal in actu, quin sit animal rationale, vel irrationale. Unde etiam Platonici ponentes ideas, non posterunt ideas per se existentes generum, quæ designantur ad esse speciei per differentias essentielles; sed posuerunt ideas per se existentes solarum specierum, quæ ad sui designationem non indigent essentialibus differentiis. Si ergo divinum esse per aliquid aliud superadditum designatur designatione essentiali, ipsum esse non erit in actu, nisi illo superaddito existente. Sed ipsum esse divinum est sua substantia, ut ostensum est cap. xviii. Ergo substantia divina non potest esse in actu, nisi aliquo superveniente; ex quo potest concludi, quod non sit per se necesse esse, cujus contrarium supra cap. xv. ostensum est.

2. Item. Omne illud quod indiget aliquo superaddito ad hoc quod possit esse, est in potentia respectu illius. Sed divina substantia non est aliquo modo in potentia, ut supra cap. xvi. ostensum est, sed sua substantia est suum esse. Ergo esse suum non potest designari aliqua designatione substantiali per aliquid sibi superadditum.

3. Amplius. Omne illud per quod res consequitur esse in actu, & est intrinsecum rei, vel est tota essentia, vel pars essentia. Quod autem designat aliquid designatione essentiali, facit rem esse actu, & est intrinsecum rei designatæ; alias per id designari non posset substantialiter. Ergo oportet quod sit vel ipsa essentia rei, vel pars essentia. Sed si aliquid superadditum ad esse divinum, hoc non potest esse tota essentia Dei, quia jam ostensum est cap. xviii. quod esse Dei non est aliud ab essentia ejus. Relinquatur ergo quod sit pars essentia divina: & sic Deus erit compositus ex partibus essentialiter; cujus contrarium supra cap. xviii. ostensum est.

4. Item. Quod additur alicui ad designationem alicujus designatione essentiali, non constituit ejus rationem, sed solum esse in actu: rationale enim additum animali acquiritur animali esse in actu; non autem constituit rationem animalis, inquantum est animal, nam differentia non intrat diffinitionem generis. Sed si in Deo addatur aliquid per quod designatur desig-

natione essentiali, oportet quod illud constituat ei cui additur, rationem propriam ejus quidditatis, seu naturæ: nam quod sic additur, acquirit rei esse in actu. Hoc autem scilicet esse in actu, est ipsa divina essentia, ut supra cap. xviii. ostensum est. Relinquatur ergo quod supra divinum esse nihil possit addi quod designet ipsum designatione essentiali, sicut differentia designat genus.

CAPUT XXV.

Quod Deus non sit in aliquo genere.

EX hoc autem de necessitate concluditur, quod Deus non sit in aliquo genere.

1. Nam omne quod est in aliquo genere, habet aliquid in se per quod natura generis designetur ad speciem: nihil enim est in genere quod non sit in aliqua ejus specie. Hoc autem in Deo est impossibile, ut ostensum est cap. præced. Impossibile est igitur Deum esse in aliquo genere.

2. Amplius. Si Deus sit in genere, aut est in genere accidentis, aut in genere substantiæ. In genere accidentis non est: accidens enim non potest esse primum ens, & prima causa. In genere etiam substantiæ esse non potest: quia substantia quæ est genus, non est ipsum esse: alias omnis substantia esset esse suum, & sic non esset causatum ab alio; cum ratio generis salvetur in omnibus quæ sub genere continentur, & sic nulla substantia esset causata ab alio; quod esse non potest, ut patet ex dictis, cap. xiiii. & xv. Deus autem est ipsum esse. Igitur non est in aliquo genere.

3. Item. Quidquid est in genere, secundum esse differt ab aliis quæ in eodem genere sunt: alias genus de pluribus non prædicaretur. Oportet autem omnia quæ in eodem genere sunt, in quidditate generis convenire, quia de omnibus genus in quod quid est prædicatur. Esse igitur cujuslibet in genere existentis, est præter generis quidditatem. Hoc autem in Deo impossibile est. Deus igitur in genere non est.

4. Amplius. Unumquodque collocatur in genere per rationem suam quidditatis; genus autem prædicatur in quod quid est. Sed quidditas Dei est ipsum suum esse, secundum quod non collocatur aliquid in genere: quia sic ens esset genus, quod significat ipsum esse. Relinquatur ergo quod Deus non sit in genere. Quod autem ens non possit esse genus, probatur per Philosophum III. Metaph. text. comm. x. in hunc modum. Si ens esset genus, oporteret differentiam aliquam inveniri, per quam traheretur ad speciem. Nulla autem differentia participat generis, ita scilicet quod genus sit in ratione differentia, quia sic genus poneretur bis in diffinitione speciei; sed oportet differentiam esse præter id quod intelligitur in ratione generis. Nihil autem potest esse quod sit præter id quod intelligitur per ens, si ens sit de intellectu eorum de quibus prædicatur; & sic per nullam differentiam contrahi potest. Relinquatur ergo quod ens non sit genus: unde ex hoc de necessitate concluditur, quod Deus non sit in genere.

Ex hoc etiam patet quod Deus diffiniri non potest, quia omnis diffinitio est ex genere, & differentiis.

Patet etiam quod non potest demonstratio de ipso fieri nisi per effectum, quia principium demonstrationis est diffinitio ejusdem de quo fit demonstratio. Potest autem alicui videri quod quamvis nomen substantiæ Deo proprie convenire non possit, quia Deus non substat accidentibus; res tamen significata per

C

per nomen ei conveniat, & ita sit in genere substantiæ: nam substantia est ens per se, quod Deo constat convenire, ex quo probatum est ipsum non esse accidens.

Sed ad hoc dicendum est ex dictis cap. xxiii. quod in diffinitione substantiæ non est ens per se. Ex hoc enim quod dicitur ens, non posset esse genus, quia jam probatum est, quod ens non habet rationem generis. Similiter nec ex hoc quod dicitur per se, quia hoc non videtur importare nisi negationem tantum: dicitur enim ens per se ex hoc quod non est in alio, quod est negatio pura, quæ nec potest naturam, vel rationem generis constituere, quia sic genus non diceret quod est res, sed quod non est. Oportet igitur quod ratio substantiæ intelligatur hoc modo, quod substantia sit res cui conveniat esse non in subiecto, nomen autem rei à quidditate imponitur, sicut nomen entis ab esse, & sic in ratione substantiæ intelligatur quod habeat quidditatem cui conveniat esse non in alio. Hoc autem Deo non convenit, nam non habet quidditatem nisi suam esse. Unde relinquatur quod nullo modo est in genere substantiæ, & sic nec in aliquo genere, cum ostensum sit, ipsum non esse in genere accidentis.

CAPUT XXVI.

Quod Deus non est esse formale omnium.

EX his confutatur quorundam error, qui dixerunt, Deum nihil aliud esse quam esse formale uniuscujusque rei.

1. Nam esse hoc dividitur per esse substantiæ, & esse accidentis. Divinum autem esse non est esse substantiæ, neque esse accidentis, ut probatum est. Impossibile est igitur Deum esse illud esse quo formaliter unaquæque res est.

2. Item. Res ad invicem non distinguuntur secundum quod esse habent, quia in hoc omnia conveniunt. Si ergo res differunt ad invicem, oportet quod vel ipsum esse specificetur per aliquas differentias additas, ita quod res differant per hoc quod ipsum esse diversis naturis secundum speciem convenit. Sed primum horum est impossibile, quia enti non potest fieri aliqua additio secundum modum quo differentia additur generi, ut dictum est cap. xxv. Relinquatur ergo quod res propter hoc differant quod habent diversis naturas, quibus acquiritur esse diversimode. Esse autem divinum non advenit alii naturæ, sed est ipsa natura, seu essentia divina, ut ostensum est cap. xxiii. Si igitur esse divinum esset formale esse omnium, oporteret omnia simpliciter esse unum.

3. Amplius. Principium naturaliter prius est eo cuius est principium. Esse autem in quibusdam rebus habet aliquid quasi principium: forma enim dicitur esse principium essendi, & similiter agens quod facit aliqua esse actu. Si igitur esse divinum sit esse uniuscujusque rei, sequetur quod Deus, qui est suum esse, habeat aliquam causam; & sic non erit necesse esse per se, cuius contrarium supra cap. xv. ostensum est.

4. Adhuc. Quod est commune multis, non est aliquid præter multa nisi sola ratione; sicut animal non est aliud præter Sortem, & Platonem, & alia animalia, nisi intellectu, qui apprehendit formam animalis expoliatam ab omnibus individuantibus, & specificantibus: homo enim est quod vere est animal;

alias sequeretur quod in Sorte, & Platone essent plura animalia, animal scilicet ipsum commune, & homo communis, & ipse Plato. Multo ergo minus & ipsum esse commune est aliquid præter omnes res existentes, nisi in intellectu solum. Si igitur Deus sit commune esse, Deus non erit aliqua res existens, nisi quæ sit in intellectu tantum. Ostensum autem est supra cap. xiiii. Deum esse aliquid non solum in intellectu, sed in rerum natura. Non est igitur Deus ipsum esse commune omnium.

5. Item. Generatio per se loquendo est via in esse, & corruptio via in non esse: non enim generationis terminus est forma, & corruptionis privatio, nisi quia forma facit esse, & privatio non esse: dato enim quod aliqua forma non faceret esse, non diceretur generari id quod talem formam acciperet. Si igitur Deus sit omnium rerum esse formale, sequetur quod sit terminus generationis; quod est falsum, cum ipse sit æternus, ut supra cap. xv. ostensum est.

6. Præterea. Sequitur quod esse cuiuslibet rei fuerit ab æterno. Non igitur potest esse generatio, vel corruptio: si enim sit generatio, oportet quod esse præexistens alicui rei de novo acquiratur. Aut ergo alicui prius existenti, aut nullo modo prius existenti. Si primo modo, cum unum sit esse omnium existentium, secundum positionem prædictam, sequitur quod res quæ generari dicitur, non accipiat novum esse, sed novum modum essendi; quod non facit generationem, sed alterationem. Si autem nullo modo prius existebat, sequitur quod fiat ex nihilo; quod est contra rationem generationis. Igitur hæc positio omnino generationem, & corruptionem destruit; & ideo patet eam esse impossibilem.

Hunc etiam errorem sacra doctrina repellit, dum confitetur Deum excelsum, & elevatum, ut dicitur Isai. vi. & eum super omnia esse, ut Rom. ix. habetur. Si enim est esse omnium, tunc est aliquid omnium, non autem super omnia.

Hi etiam errantes eadem sententia propelluntur quæ & idolatræ, qui incommunicabile nomen, scilicet Dei, lignis, & lapidibus imposuerunt, ut habetur Sap. xiv. 21. Si enim Deus est esse omnium, non magis dicitur vere, Lapis est ens, quam Lapis est Deus.

Huic autem errori quatuor sunt quæ videntur præstitisse fomentum.

Primum est quarundam auctoritatum intellectus perversus. Invenitur enim à Dionysio dictum iv. cap. cœl. Hierarchiæ: *Esse omnium est supersubstantialis Divinitas*. Ex quo intelligere voluerunt, ipsum esse formale omnium rerum Deum esse, non considerantes hunc intellectum ipsis verbis consonum esse non posse. Nam si Divinitas est omnium esse formale, non erit super omnia, sed intra omnia, immo aliquid omnium. Cum enim Divinitatem super omnia dixit, ostendit secundum naturam suam ab omnibus distinctum, & super omnia collocatum. Ex hoc vero quod dixit, quod Divinitas est esse omnium, ostendit quod à Deo in omnibus quædam divini esse similitudo reperitur. Hunc etiam eorum perversum intellectum alibi apertius excludens, dixit in 11. cap. de divinis Nominibus, quod *ipsius Dei neque tactus, neque aliqua commixtio est ad res alias, sicut est puncti ad lineam, vel figuræ sigilli ad ceram.*

Secundum quod eos in hunc errorem promovit, est rationis defectus. Quia enim id quod commune est, per additionem specificatur, vel individuatur, æstimaverunt, divinum esse, cui nulla fit additio, non esse aliquid proprium, sed esse commune omnium; non considerantes quod id quod commune

est

est vel universale, sine additione esse non potest, sed sine additione consideratur: non enim animal potest esse absque rationali, vel irrationali differentia, quamvis sine his differentijs cogitur: licet etiam cogitur universale absque additione, non tamen absque receptibilitate additionis est: nam si animali nulla differentia addi posset, genus non esset: & similiter est de omnibus aliis nominibus. Divinum autem esse est absque additione, non solum cogitatione, sed etiam in rerum natura; & non solum absque additione, sed etiam absque receptibilitate additionis. Unde ex hoc ipso quod additionem non recipit, nec recipere potest, magis concludi potest quod Deus non sit esse commune, sed proprium. Etenim ex hoc ipso sum esse ab omnibus aliis distinguitur, quia nihil ei addi potest. Unde Commentator in Lib. de causis, prop. ix. circa fin. dicit quod causa prima ex ipsa puritate suæ bonitatis ab aliis distinguitur, & quodammodo individuatur.

Tertium quod eos in hunc errorem induxit, est divinæ simplicitatis consideratio. Quia enim Deus infinitæ simplicitatis est, æstimaverunt, illud quod in ultimo resolutionis invenitur eorum quæ sunt in nobis, Deum esse quasi simplicissimum: non enim est in infinitum procedere in compositione eorum quæ sunt in nobis. In hoc etiam eorum deficit ratio, dum non attenderunt id quod in nobis simplicissimum invenitur, non tam rem completam, quam rei aliquid esse; Deo autem simplicitas attribuitur sicut rei alicui perfecte subsistenti.

Quartum etiam quod eos ad hoc inducere potuit, est modus loquendi, quo dicimus Deum in omnibus rebus esse; non intelligentes, quod non sic est in rebus quasi aliquid rei, sed sicut rei causa, quæ nullo modo suo effectui deest. Non enim similiter esse dicimus formam in corpore, & nauam in navi.

CAPUT XXVII.

Quod Deus non sit forma alicujus corporis.

Ostendo igitur, quod Deus non sit esse omnium, similiter ostendi potest, quod Deus non sit alicujus rei forma.

1. Nam divinum esse non potest esse alicujus rei quidditas, quæ non sit ipsum esse, ut ostensum est cap. xxiii. quod autem est ipsum esse divinum, non est aliud quam Deus. Impossibile est igitur Deum esse alicujus alterius formam.

2. Amplius. Forma corporis non est ipsum esse, sed essendi principium. Deus autem est ipsum esse. Non ergo est Deus forma corporis.

3. Item. Ex unione formæ & materiæ resultat aliquid compositum, quod est totum respectu materiæ & formæ. Partes autem sunt in potentia respectu totius; in Deo autem nulla est potentialitas. Impossibile est igitur Deum esse formam unitam alicui rei.

4. Adhuc. Quod per se habet esse, nobilior est eo quod habet esse in alio. Omnis autem forma alicujus corporis habet esse in alio. Quum igitur Deus sit ens nobilissimum, quasi prius essendi causa, non potest esse alicujus forma.

5. Præterea. Hoc idem potest ostendi ex æternitate motus sic. Si Deus est forma alicujus mobilis, cum ipse sit primum movens compositum, erit movens seipsum. Sed movens seipsum potest moveri, & non movetur. Utrumque igitur in ipso est. Quod autem est hujusmodi, non habet motum indeficientiam ex se ipso. Oportet igitur supra movens se ipsum ponere

aliud primum movens, quod largiatur perpetuiter motum; & sic Deus, qui est primum movens, non est forma corporis moventis seipsum. Est autem hic processus utilis ponentibus æternitatem motus; quo non posito, eadem conclusio haberi potest ex regularitate motus cœli. Sicut enim movens se ipsum potest quiescere, & moveri, ita potest velocius, & tardius moveri. Necessitas igitur uniformitatis motus cœli dependet ex aliquo principio superiori omnino immobili, non quod est pars corporis moventis se ipsum, quasi aliqua forma ejus.

Huic autem veritati concordat Scriptura: dicitur enim in Psalm. viii. 2. *Elevata est magnificentia tua, super cœlos, Deus; Et Job 11. 8. Excelsior cœlo est; & quid facies? ... Longior terra mensura ejus, & latior mari.*

Sic igitur Gentilium error evacuatur, qui dicebant, Deum esse animam cœli, vel etiam animam totius mundi. Et ex hoc errore idolatriam defendebant, dicentes, totum mundum esse Deum, non ratione corporis, sed ratione animæ. Quo supposito, sequi opinabantur, quod mundo, & partibus ejus non indebite divinus cultus exhibebatur. Commentator etiam dicit in Metaph. Lib. XII. cap. xli. quod hic locus fuit lapsus sapientum gentis Zabiorum, id est idolatrarum, quia scilicet posuerunt Deum esse formam cœli.

CAPUT XXVIII.

Quod Deus est universaliter perfectus.

Licet autem ea quæ sunt, & vivunt, perfectiora sint quam ea quæ tantum sunt; Deus tamen, qui non est aliud quam suum esse, est universaliter ens perfectum. Et dico universaliter perfectum, cui non deest alicujus generis nobilitas.

1. Omnis enim nobilitas cuiuscumque rei est sibi secundum suum esse: nulla enim nobilitas esset homini ex sua sapientia, nisi per eam sapiens esset, & sic de aliis. Sic ergo secundum modum quo res habet esse, est suus modus in nobilitate: nam res, secundum quod suum esse contrahitur ad aliquem specialem modum nobilitatis majorem, vel minorem; dicitur esse secundum hoc nobilior, vel minus nobilis. Igitur si aliquid est cui competit tota virtus essendi, ei nulla virtus nobilitatis deesse potest; quæ alicui rei conveniat. Sed rei quæ est suum esse, competit esse secundum totam essendi potentiam, sicut si esset aliqua albedo separata, nihil ei de virtute albedinis deesse posset: nam alicui albo aliquid de virtute albedinis deesse potest ex defectu recipientis albedinem, qui eam secundum modum suum recipit, & fortasse non secundum totum posse albedinis. Deus igitur, qui est totum suum esse, ut supra probatum est, habet esse secundum totam virtutem ipsius esse: non potest ergo carere aliqua nobilitate quæ alicui rei conveniat. Sicut autem omnis nobilitas, & perfectio inest rei, secundum quod est; ita omnis defectus inest ei, secundum quod alicuius non est. Deus autem sicut habet esse totaliter, ita ab eo totaliter absistit non esse; quia per modum per quem habet aliquid esse, deficit à non esse. A Deo ergo omnis defectus absistit: est igitur universaliter perfectus. Ita vero quæ tantum sunt, imperfecta sunt, non propter imperfectionem ipsius esse absoluti (non enim ipsa habent esse secundum totum suum posse) sed participant esse per quemdam particularem modum, & imperfectissimum.

C 2

Item.